



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt LXXX. Sancti Elmeri Collegivm Molhauense, in d. Leodiensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

contiguum: quod cum Baldricus Episcopus
fosis munire vellet, restitit cum exercitu Lã-
bertus Barbatus, Comes Louaniensis; & ex
parte Episcopi trecenti ceciderunt. Ad quo-
rum réfrigerium idem Episcopus Leodij cõ-
struxit monasterium Sancti Iacobi in Infula.

CAPVT LXXX.

SANCTI ELMERI COLLEGIVM
Molhauense, in d. Leodiensi.

COLlegium hoc situm est in diœcesi Le-
codiensi, non procul à Mariæ Burgo
Hannoniæ opido, duobus milliaribus à Gi-
ueto opido ad Mosam sito. Fuit autem *S. El-
merus Episcopus & confessor*, ac Molhauensiũ
Patronus, de quo vide Molanum in Natalib.
Sanctorum Belgij 27. Augusti.

SANCTI MONONIS COLLEGIVM
Nassouense in d. Leodiensi.

SANCTVS Mono Martyr, angelico mo-
nitũ, ex Scotia in Arduennam venit, v-
bi solus soli Deo multo tempore seruiuit, &
feliciter occubuit, à sicarijs latronibus con-
fossus; vbi etiam est sepultus in Ecclesia quam
ipse construxerat. Est autem *Nassoin* pagus il-
lustris sanguine & reliquijs gloriosi Martyris,
sub ditione Abbatis monasterij Sancti Huber-
ti, quod est in Arduenna; à quo duobus mil-
liaribus distat intra diœcesim Leodiensem.

Nominatur discipulus sanctorum Remacli & Ioannis Agni, Episcoporum Traiectensiu ad Mosã. Ad eos enim de Scotia venerat, quæ regio multos Sanctos, velut stellas Lucifluas, ad diuersas mundi partes transmisit. Ceterum beato viro ob titulum Christianitatis mactato, Pipinus Rex regaliter decimas obtulit, quas habebat inter *Letiam & Vrcam*. sanctus verò *Ioannes Agnus* clericorum, quos nunc Canonicos dicimus, ministerium ibidem instituit. Vide Molanum libro citato.

CAPVT LXXXI.

SANCTI PETRI CASLETENSE
Collegium in Flandria.

CVM Robertus Friso, Flandriæ Comes aduersus Richildem eiusque filium Armelfum, & contra Galliæ Regem, *victoriam iuxta Casletũ in die cathedræ S. Petri obtinisset in memoriam triumphi, Casleti in Castello suo Ecclesiam Canoniorum fundauit in honore Beati Petri Apostoli, anno Domini millesimo septuagesimo primo, in qua sepultus iacet, in crypta, anno millesimo nonagesimo tertio defunctus.* Ita Ioannes Iperius Abbas Bertinensis in sui monasterij Chronico manuscripto,

Huius monasterij Præpositus fuit Langicrutius, qui de Canonicis scripsit,

In oppido Casletensi est & alterum Canonico-